

DISTINCTIO V

Brevis admodum ac distincta divisio huius distinctionis, in qua quidem Magister sedulo inquit, an scilicet divina essentia generetur, seu generet.

POST HAEC QUAERITUR etc. Hic Magister quaerit an divina essentia generetur, vel generet. Et dividitur in tres partes, quia primo Magister proponit praedictas quaestiones. Secundo respondet ad eas. Et tertio ostendit quomodo sint intelligendae auctoritates dicentes, quod Filius est genitus de substantia Patris. Secunda ibi: *Ad quod catholicis tractatoribus*. Tertia ibi: *Dicitur quoque* etc. Secunda pars dividitur in duas. Nam primo ostendit quod essentia divina non generatur. Secundo ostendit quod non generat. Secunda ibi: *Itaque etiam non est dicendum* etc. Prima in duas, quia primo ponit suam determinationem, et confirmat eam rationibus. Secundo adducit contra se quandam objectionem et respondet ad eam. Secunda ibi: *Huic videtur contrarium* etc. Tunc sequitur illa pars, *Itaque etiam* etc., in qua Magister ostendit quod essentia divina non generat, et dividitur in duas, quia primo ostendit Magister quod essentia divina nec generat essentiam, nec generat Filium. Secundo, ex dictis sanctorum obiicit in contrarium, ibi: *Praedictis autem videtur*. Et haec dividitur in quattuor, quia primo obiicit ex dictis Augustini. Secundo exponit huiusmodi dicta, ostendens ea non esse contraria praedictae veritati. Tertio obiicit ex dictis Hilarii. Et quarto ostendit quomodo verba Hilarii debeant intelligi. Secunda ibi: *Sed haec ita determinamus*. Tertia ibi: *Huic vero* etc. Quarta ibi: *Sed quia haec verba*. Hic quaero hanc quaestionem.

Quaestio I

An Filius in Divinis de substantia Patris generetur?

Quamvis divina essentia actuum notionalium, sive active, sive passive accipiantur principium quod nequaquam esse possit; eorundem tamen principium quo esse non negatur, cum praesertim ipsa divina essentia huiusmodi actuum formalis terminus esse comprobetur. Unde sequitur quod solus Filius in divinis proprie de substantia Patris. generetur

UTRUM FILIUS GENERETUR in divinis de substantia Patris. Et videtur quod non, quia illud, cuius substantia nec est materia, nec quasi materia generationis Filii, de illius substantia non generatur Filius, sed essentia divina, sive substantia Patris nec est materia, nec quasi materia generationis Filii, ergo etc. Maior patet, quia denotat circumstantiam causae materialis. Minor etiam patet quo ad hoc, quod essentia divina non sit materia, cum ipsa sit purus actus, nec etiam est quasi materia, quia non est subiectum ali-[117a]-cuius formae ipsi genitor communicatae. IN CONTRARIUM est beatus Augustinus, qui illud afferit in multis locis. Hic sunt quattuor videnda. Primo, utrum actus notionales convenient divinae essentiae active, puta utrum generare possit, vel spirare. Secundo, utrum sibi convenient passive, puta utrum divina essentia generetur, vel spiretur. Tertio, utrum divina essentia debeat dici formalis terminus actus notionalis. Quarto illud quod quaeritur in praesenti.

QUANTUM AD PRIMUM principale, utrum actus notionales convenient divinae essentiae active, dico, quod aliquid active se habere respectu activum notionalium, dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut principium, quod tales actus principiat, puta generat, vel spirat. Alio modo, ut principium, quo tales actus principiatur, puta quo generans generat. Primo modo dico quod actus notionales non convenient divinae essentiae active, quia principium, quod

producit, necessario distinguitur realiter ab eo, quod sua actione producitur. Sed essentia divina non distinguitur realiter a Filio, vel a Spiritu Sancto, qui per actionem notionalem producuntur, ergo actus non competunt divinae essentiae active, tanquam ei, quod producit. 2. Praeterea, generis et genitum ad invicem referuntur oppositis relationibus ut patet 5 Metaphysicae sed essentia non refertur ad Filium, nec ad Spiritum Sanctum relatione opposita, ergo nec generat, nec spirat. 3. Praeterea, si essentia generaret, vel generaret essentiam divinam, vel persona divinam, cum ergo semper gignens et genitum sint distincta realiter, ergo, si essentia generaret essentiam, esset distincta a seipsa, si personam esset distincta a persona, quorum utrumque est impossibile in divinis. SED OPPOSITUM illius posuit Abbas Ioachim, dicens quod *essentia generat essentiam*, quia ut ait, *non minus illa est vera, essentia generat essentiam, quam illa, Deus generat Deum, cum Deus sit terminus essentialis*. Sicut igitur illa conceditur, Deus generat Deum, non tamen propter hoc ponuntur plures dii realiter ab invicem distincti, sic illa secundum eum est concedenda, essentia generat essentiam, non tamen propter hoc erunt duae essentiae realiter distinctae. Et, si dicitur sibi illud Augustinus I De Trinitate¹ quod impossibile est produciens et productum non esse realiter distincta, ipse respondet dicens quod Augustinus debet intelligi de producente et product, cum sumuntur suppositaliter, non autem cum sumuntur essentialiter, sicut patet in illa, Deus genuit Deum. 2. Possemus etiam illam opinionem erroneam fucare, sive apparentem facere aliquibus sophismatibus, primo sic. Cum dico essentia generat, vel praedicatum est realiter idem cum subiecto, vel differt ab eo realiter. Si primo modo, tunc erit propositio necessario vera, quia impossibile est propositionem esse falsam, in qua idem praedicatur de seipso. Si secundo modo, tunc erit aliquid in divinis, quod realiter differt a divina essentia, et per consequens cum ipsa faciet compositionem. 3. Praeterea, sicut se habet actus essentialis ad personam, sic actus personalis ad essentiam, sed actus essentialis, quamvis sit communis, verificatur tamen de qualibet persona secundum se sumpta, propter unitatem essentiae, cum persona. Illa enim est vera, Pater intelligit, quamvis intelligere sit actus communis tribus personis. Ergo, et actus personalis, puta generare, quamvis sit personae proprius, verificabitur de essentia secundum se sumpta propter identitatem personae cum essentia. 4. Praeterea, id, quod est Pater generat Filium, essentia divina est Pater, ergo generat Filium. 5. Praeterea, Augustinus 7 De Trinitate dicit quod *Filius est essentia de essentia*. Et 15 De Trinitate ait: *Filius est substantia de substantia*. SED ILLA opinio est erronea, et ab ecclesia catholica condemnata. Ideo, dimissis rationibus et auctoritatibus, quas etiam Magister hic adducit in littera quamplurimum copiose, capiam solum ad praesens verba sanctae matris ecclesiae, [117b]* extra de summa trinitate et fide catholica capitulo *Damnamus*, ubi sic dicitur: *Sacro approbante concilio confitemur cum Petro, quod una quaedam summa res est in divinis, quae nec generat, nec generatur, nec procedit, sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur et Spiritus Sanctus qui procedit*. Cum ergo dicat Augustinus²: *Evangelio Dei non crederem, nisi in quantum ab ecclesia Dei fuerit approbatum*. Ergo patet illam opinionem a cunctis fidelium mentibus esse penitus respuendam, cum a Dei ecclesia non solum non approbetur, sed etiam manifestissime reprobetur. AD ILLUD ergo, quod dicit Ioachim quod aequae vera est illa, essentia generat essentiam, sicut haec, Deus generat Deum, nego et ad probationem dico, quod quamvis Deus sit terminus essentialis sicut essentia, et idem significet, quod essentia, habet tamen alium modum significandi, quam essentia, ratione cuius aliquid vere potest affirmare de ipso, quod tamen false affirmatur de essentiali. Habet enim hoc nomen Deus modum significandi denominativum, sive concretum, ratione cuius implicat subiectum, et ideo cum sibi adiungitur actus notionalis, talis adiunctio facit ipsum determinate stare pro supposito, cui proprie convenit talis actus. Sed hoc nomen essentia habet modum significandi abstractum, propter quod secundum suum modum significandi non implicat subiectum, et ideo, quamvis actus notionalis sibi adiungatur, non tamen determinatur ad standum pro illo supposito, cui proprie

¹ Cap. I tom. 3

² Contra Epistolam Fundamenti Manichaei, cap. 5 tom. 6

convenit talis actus. Sed manet iuxta suum modum significandi in sua absoluta abstractione. Quamvis igitur illa sit vera, Deus genuit Deum, quia cum in subiecto stet prosupposito Patris et in praedicato pro supposito Filii, gignens et genitum sunt ibi distincta realiter, nec per consequens generat seipsum. Ista tamen est falsa, essentia generat essentiam, quia idem indistincte ponitur in subiecto et praedicato. Glossa etiam eorum, qua glossant dictum Augustinum, corrumpit textum. Quia Augustinus eodem capitulo ait, *nulla omnino res est, quae seipsam gignat ut sit*. Vel ergo tu dices quod essentia divina nulla omnino res sit, quod esset absurdum nimis, et etiam contra tuum propositum, quia tunc non generaret, quia quod omnino nulla res est, generare non potest. Vel dices quod sit aliqua res, et tunc expresse per dictum Augustini excluditur ab ea posse seipsam generare. Ad secundum dicendum quod, ut ait Philosophus Peri Hermeneias, nomina et verba idem significant, ergo hoc verbum generat, et hoc nomen generatio quantum ad rem significatam idem significant, licet differant quantum ad modum significandi. Cum igitur generatio in divinis praedicetur identice de divina essentia, ideo possumus dicere quod in hac propositione essentia generat, praedicatum est idem realiter, quod subiectum quantum ad rem significatam, non tamen quantum ad modum significandi, quia hoc verbum ‘generat’ significat per modum cuiusdam egressus, quo generans aliquid in esse producit, quod eo ipso, quod productum est necessario differt a producente et hoc essentiae divinae repugnat, cum nihil sit in divinis, a quo essentia divina realiter distinguatur. Sed hoc nomen ‘generatio’, cum sit substantivum nomen, habet modum significandi fixum, ideo ratione sui modi significandi non impeditur, quin identice possit praedicari de essentia. Unde, cum dico, essentia est generatio, vel essentia est ipsum divinum generare, non notatur hic transitus de essentia in aliquid productum, sed notatur quaedam reciprocatio, sive quaedam identificatio ad essentiam. Ad tertium dicendum quod, quamvis actus essentialia convenientes essentiae, convenient etiam personis, alique tamen habitudines conveniunt essentiae, quae tamen repugnant personis. Essentia enim est ad se, et persona non est ad se. Sic omnia praedicata, quae simpliciter dicunt perfectionem convenientia supposito, conveniunt etiam essentiae, puta si Pater est Deus, sapiens, bonus, sive sapientia, bonitas haec omnia, et cetera consimilia praedicantur de essentia. Aliqua tamen, quorum esse magis consistit in quadam habitudine, sive relatione ad aliud, quam in entitate simpliciter et perfectione, poterunt supposito convenire, et tamen repugnare essentiae, cuiusmodi sunt omnes actus notionales, ut notionales sunt. Quia, ut sic sunt formaliter relationes quaedam, et ideo non possunt dicere perfectionem simpliciter. FORTE DICES, quod generare dicit perfectionem simpliciter, cum dicatur 4 Meteorologica.³ Unumquodque tunc perfectum est, cum poterit sibi simile generare. RESPONDEO, dicendum quod actus generandi non dicit perfectionem simpliciter, sed habere potentiam generandi hoc poterit dici perfectio simpliciter et ideo Philosophus non dicit, cum generat sibi simile, sed cum potest sibi simile generare. Et ideo non possumus arguere ibi aliquam perfectionem simpliciter convenire supposito, quae deficiat essentiae divinae ex abnegatione actuum illorum notionalium de essentia. Ad quartum dicendum, negando maiorem, paternitas enim divina est Pater, et velle divinum est Pater, et tamen non generant Filium. Quia, licet aliqua sint idem realiter, propter alium tamen modum essendi, aliquid poterit convenire uni et repugnare alteri. SED, SI ILLE primus articulus, illius primae quaestionis intelligitur secundo modo, puta utrum actus notionales convenient divinae essentiae active tanquam principio, quo tales actus eliciuntur, tunc dico quod sic: quia illud, quod formaliter est potentia generativa et potentia spirativa, illi vere attribuuntur omnes actus notionales active, tanquam principio quo. Sed essentia divina est huiusmodi, quia, ut probabo inferius in distinctione 7, essentia divina est vere potentia generandi atque spirandi et omnia producendi, quae ad intra realiter producuntur in divinis. In productionibus autem ad extra, essentia divina non solum est tribus personis principium productivum quo, sed secundum se et per se ipsam est principium

³ Tex. c. 19

producens quod, quia in tali productione nihil impedit, quin essentia possit producere, cum ipsa sit realiter distincta ab huiusmodi producto. Et per iam dicta potest glossari verbum Augustini superius in quinta ratione positum, cum dicitur, *Filius est essentia de essentia*, debet intelligi de essentia non tanquam a principio producente, sed tanquam a principio producendi.

QUANTUM AD SECUNDUM principale cum petitur, utrum praedicti actus notionales conveniant divinae essentiae passive, ita quod divina essentia possit vere dici genita, dico quod non. Quia, manente eadem causa, manet idem effectus, sed principalis causa repugnantiae, quare superius dicebatur, quod divina essentia non generat erat, quia esset distincta ab aliquo ad intra in divinis, quia gignens realiter distinguitur a genito; sic etiam eodem modo non potest dici genita, quia genitum realiter distinguitur a gignente. 2. Praeterea, si ipsa esset genita, vel esset genita a se, vel ab aliquo divino supposito. Non a se, quia, sicut iam probatum est, ipsa non producit aliquid ad intra. Nec etiam potest esse distincta a seipsa, nec ab aliquo divino supposito, ergo nec a se, nec a divino supposito potest esse divina essentia producta. 3. Praeterea, si essentia divina esset producta, vel generata, tunc ipsa esset creatura. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Probo consequentiam, quia, si esset producta, a Deo esset producta, et per consequens differret a Deo propter distinctionem producentis a producto, cum ergo omne, quod non est Deus, sive creator, sit creatura, ergo etc. FORTE DICETUR quod non sequitur, differt a Deo, ergo est creatura, quia Filius in divinis differt a Deo Patre, et tamen non est creatura. RESPONDEO quod non est simile de Filio et de essentiali, quia Filius per filiationem differt a Deo Patre, non ut Deus est, sed ut ille Pater est, et ut ille Filius est. Sed essentia, si differret a Deo, oporteret quod seipsa et essentialiter differret, et per consequens necessario esset creatura, quia, quicquid essentialiter differt a Deo, hoc est creatura. 4. Praeterea, si essentia [118b]* divina generaretur, ipsa non esset prima essentia, quia, sicut persona genita non potest dici persona prima, sic essentia genita etc. 5. Praeterea, pro conclusione est determinatio ecclesiae, extra de summa Trinitate et fide catholica superius recitata. Item pro ea sunt rationes et sanctorum auctoritates per Magistrum assignatae in illa distinctione. SED CONTRA ILLAM veritatem sunt duae opiniones, una directe et alia indirecte. Quarum prima dicit quod, quamvis essentia divina, ut est communis tribus personis, non generetur, tamen, ut est in Filio proprie, generator. Quia Filius non est aliud quam essentia genita. Et eodem modo dicunt quod Pater est essentia generans, et Spiritus Sanctus essentia spirata, sive procedens, ita quod secundum eos trinitas non est aliud quam essentia triplicata, propter hoc tamen, ut dicunt, non distinguitur essentia ab essentia realiter, personaliter. Et illud probant sic. Primo auctoritate Richardi 6 De Trinitate, ubi ait: *nihil aliud est Patris persona, quam substantia ingenita et nihil aliud est Filii persona quam substantia genita*. Et ibidem eodem capitulo invehitur contra illos, qui oppositam partem tenebant in diebus suis dicens: *Multi temporibus nostris surrexerunt, qui non audent hoc dicere et multo periculosius contra sanctorum patrum auctoritatem, illud audent negare*. Ad illud autem, quod dicunt, auctoritatem invenire non possunt. Ad hoc autem, quod nos dicimus, etiam ipsi auctoritates multas adducunt, et more Golyae, gladium, quo iugulentur deferentes, ad certamen procedunt. Et credo, quod Richardus ibi notet Magistrum libri Sententiarum, qui multas auctoritates etiam pro illa non vera conclusione adducit. Et sequitur in eodem capitulo. In divina natura unius substantia est ingenita et alterius genita. Non tamen consequens est, ut sit alia et alia substantia, sed alia et alia persona. 2. Praeterea, Augustinus De fide et symbolo ait: *Pater genuit illud, quod est; sed hoc non potest intelligi de Filio, quia Pater non est Filius, ergo intelligetur de essentiali*. Item eodem libro Augustinus dicit: *Deitas Christi nata est de natura Patris*. Item ait: *Quicquid habet Filius natum est*. 3. Praeterea, in divinis proprie dicitur sapientia genita, ergo proprie potest dici essentia genita. Consequentia patet, quia, quicquid potest dici contra consequens, etiam potest dici contra antecedens, cum essentia et sapientia sint termini essentielles et sint aequalis abstractionis. Sed antecedens conceditur ab omnibus doctoribus modernis et antiquis, ergo etc.

4. Praeterea, Magister exponens in littera illud Augustini: *In divinis est essentia de essentia*, ait, *quod hoc est dictum, Filius est de Patre*. Ergo etiam Magister videtur geminare essentiam in divinis personaliter, quamvis eam unam et indistinctam dicat esse essentialiter. 5. Praeterea, quae sunt unum, et idem realiter, si unum generator, et reliquum. Sed essentia est idem realiter quod Filius, qui propria generatur, ergo etc. SED ILLA opinio directe videtur esse contra determinationem sanctae matris ecclesiae, ideo tanquam erronea est penitus respuenda. Omne enim, quod generatur, accipit esse ab alio, et dicitur relative ad ipsum. Sed divina essentia non dicitur relative, sive ad aliud, sed ad se, nec accipit esse ab alio, sed omnia habent esse a divina essentia, ergo etc. FORTE DICES, ut in Filio est, accipit esse ab alio, scilicet a Patre. Non valet, quia etiam secundum te, eadem essentia penitus indivisa, quae est in Filio, est in Patre et in Patre non habet esse ab alio, si ergo in Filio habet esse ab alio, tunc unum et idem penitus in divisum et simpliciter absolutum habebit esse ab alio et non habebit esse ab alio, quod est evidens contradictio. AD PRIMUM dicendum quod maior est auctoritas ecclesiae orthodoxae, quae in generali concilio determinavit hanc opinionem esse erroneam, quam sit auctoritas Richardi, vel cuiuscunque alterius doctoris sancti. Potest tamen Richardus excusari, quia determinatio concilii videtur venisse post illa dicta Richardi, quamvis illi non sint excusabiles, qui primus illam concilii determinationem teme-[119a]-re asserere praesumunt opinionem praedictam. Ad secundum dicendum quod Augustinus per talia verba non intendit dicere essentiam esse genitam, sed communicatam. Etiam potest sic exponi, Pater genuit illud, quod est substantialiter, quia sicut Pater est in Filio secundum substantiam, ut patet Ioan. 14: *Sic Pater est Filius substantialiter, sive secundum substantiam, quia sunt una substantia*. Et cum ait, *deitas Christi nata est*, debet exponi, id est, per nativitatem communicata est a natura Patris tanquam a principio, quo Pater producit, ut superius etiam exposui alias auctoritates, et eodem modo dicendum est ad dictum Hilarii simili modo. Ad tertium dicendum quod sapientia supponit pro persona Filii et non essentia et hoc non ratione minoris abstractionis, sicut videtur argumentum praetendere, sed ratione appropriationis, quia, licet sit communis tribus, appropriatur tamen Filio; essentia autem sic est communis quod nulli appropriatur. Ad quartum dicendum, quod Magister non accipit ibi essentiam pro persona sic, quod essentia sit gignens, vel genita, sed vult per hoc exprimere quod gignens et genitum sint idem in essentia, quamvis different realiter relatione divina. Ad quintum dicendum, quod patet eius solutio per ea, quae dicta sunt in primo articulo, solutione tertii et quarti argumenti. SECUNDO contra praedictam veritatem sunt quidam, quamvis non ita directe sicut illi iam dicti, dicentes quod divina essentia non generatur per se, sed generatur per accidens. Primam conclusionem cum suis rationibus concedo, et ideo motiva eorum, quo ad hoc non adduco ad praesens. Secundam autem conclusionem ipsi probant sic. Ubicunque compositum, vel habens se ad modum compositi, generatur per se, ibi componentia, vel habentia se ad modum componentium, generantur per accidens. Illa patet, quia dato bene quod componentia sint priora composito, tamen secundum esse quod habent in composito sunt posteriora composito, et per consequens, ut sic generantur ad generationem compositi. Sed filius, qui per se generatur in divinis, secundum nostrum modum intelligendi componitur ex divina essentia et relatione, ergo etc. 2. Praeterea, quamvis secundum nostrum modum intelligendi essentia praeintelligatur habere esse antequam sit in Filio, tamen secundum modum essendi, quo est in Filio, non potest praeintelligi, quia secundum illum modum essendi non est in Patre, ergo saltem secundum talem modum essendi essentia generatur. 3. Praeterea, id, quod generationi secundum nostrum modum intelligendi praexistit et per actum generationis accipit in se formam, cum qua unum suppositum constituit, quod proprie generatur, illud videtur esse subiectum generationis, et per consequens per accidens generatur; essentia divina est huiusmodi, ergo etc. Probatio illius, quia per actum generationis accipit in se filiationem, cum qua constituit suppositum ipsius filii. 4. Praeterea, Philosophus Metaphysicae 7, ait quod compositum generatur per se, forma vero et materia generantur per accidens. Sed essentia divina in generatione filii videtur habere rationem materiae, cum sit

eadem in utroque termino generationis, puta in Patre et Filio. Et confirmatur, quia omni potentiae activae correspondet aliqua potentia passiva. Sed in Patre generante est aliqua potentia activa, qua generat, ergo in Filio genito erit aliqua potentia passiva, qua generatur, haec autem non potest esse nisi essentia divina, ergo etc. Item, si in divina generatione essentia non teneret locum materiae, tunc Filius non generaretur, sed potius crearetur. Consequens falsum est et haereticum. Probatur consequentia, quia illud quod non sit ex aliquo, illud fit ex nihilo, et per consequens creatur. Sed illud, ex quo sit aliquid habet locum materiae. 5. Praeterea, passiva generatio in aliquo signo prioritatis praecedit Filium genitum, igitur ut sic praecedat, aut subsistat in se ipsa, aut in essentia non in seipsa. Quia secundum Augustinum nulla relatio potest seipsa subsistere, ergo in essentia, et per consequens essentia [119b]* saltem per accidens generatur, quia omne illud, in quo est passiva generatio, aliquo modo generatur. 6. Praeterea, si Pater genuisset Filium de substantia aliena, illa substantia per accidens fuisset genita, ergo cum genuit eum de substantia propria, sua substantia aliquo modo diceretur esse genita. Quia, si ignis generaret aliquid de sua substantia, non minus sua substantia diceretur generari, quam dicatur generari aliena substantia, si ex ea ignis aliquid generabit. SED ILLA non concludunt, quia illud, quod generatur per accidens, non habet esse per se, sed solum sibi competit esse per esse illius, quod generatur per se. Sed essentia divina non habet esse per suppositum, sed magis e converso. Omnis enim natura, quae acquirit esse in supposito, non est suum esse, nec per consequens est de se formali necesse esse, quae omnia sunt falsa, loquendo de divina essentia. 2. Praeterea, essentia per generationem communicata, in qua nullum esse, quod praehabuit corrumpitur, nec aliquod novum esse inducitur, illa non generatur per accidens ad modum materiae, essentia divina in generatione Filii est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia ex hoc dicitur materia naturalis per accidens generari, quia esse quod praehabuit corrumpitur et novum esse in ipsa inducitur. Illarum igitur conditionum dato opposito, debet etiam concludere oppositum. Minor patet quo ad illam partem, quod nullum esse essentiae divinae corrumpitur per divinam generationem. Probo eam, quo ad alteram partem, scilicet quod per illam generationem nullum esse novum in ipsam inducatur, quia actus infinitus activari non potest per aliquam supervenientem actualitatem, quia infinitum non capit additionem, sed essentia divina est actus infinitus. Et confirmo hoc idem sic. Quia omne perfectibile et recipiens esse, habet rationem potentiae passivae, quae actui puro simpliciter repugnat, et per consequens necessario repugnabit essentiae divinae, quae est actus omnino purus, ut patet 12 Metaphysicae. 3. Praeterea, id, quod generatur per accidens, non habet esse, nisi in eo, quod generatur per se. Sed divina essentia non habet esse in solo Filio, sed illud idem esse, quod habet in Filio, habet in Patre et Spiritu Sancto. 4. Praeterea, quandocunque aliquid generatur per accidens, necesse est esse suum differre ab esse generantis. Sed esse divinae essentiae non differt ab esse patris, ergo etc.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod si aliquid componentium sic se habet, quod nec dimittit esse, quod habuit ante illud compositum, nec acquirit esse in composito, de illo maior est simpliciter falsa. Sed essentia divina est huiusmodi, ut patuit, ergo etc. Etiam posset dici quod Filius nec est compositus, nec habet se ad modum compositi, quia, sicut infra patebit, persona divina est aequae simplex sicut essentia. Ad secundum dicendum, quod ratione illius modi essendi essentia divina, ut est in Filio, dicitur communicata, non tamen propter talem modum debet dici genita. Ad tertium dicendum quod maior est vera, si id, quod appellas ibi subiectum, recipit esse a tali forma, et activatur et perficitur ab ea. Sed essentia divina non recipit esse a filiatione, nec activatur, nec perficitur per eam, ergo non valet. Ad quartum dicendum quod forma et materia dicuntur generari per accidens, quia per generationem capiunt novum esse, quod prius non habuerunt. Ad minorem et ad suas confirmationes patebit in quarto principali. Ad quintum dicendum, quod nullum prius est in divinis, in quo passiva generatio ante subsistat, quam Filius sit genitus, sicut infra patebit, cum materiam de priori et posteriori in divinis

tractabo. Ad sextum dicendum, quod, si pater aliquid produceret de aliena substantia, illa posset dici producta, eo quod caperet novum esse per talem productionem, sic autem non est in proposito.

QUANTUM AD TERTIUM principale, utrum divina essentia debeat dici formalis terminus actus [120]* notionalis

[120]

dico quod essentia divina est formalis terminus, actus notionalis, sive ipsius generationis, de qua ad praesens loquimur. Quia id est formalis terminus generationis, quod a generante ipsi genito taliter communicatur, quod genitum generanti in ipso principaliter assimilatur, essentia divina est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia illud, in quo sistit finalis intentio generantis, videtur habere rationem termini generationis, sed finis generantis est assimilare sibi genitum, sive producere sibi simile. Minor patet de se, quia Filius in relatione a Patre distinguitur, sed in essentia sibi perfectissime assimilatur. FORTE DICES quod in essentia non est in divinis assimilatio, sed totalis identitas, quia unitas in substantia est identitas, unum autem in qualitate est similitudo. RESPONDEO QUOD, SICUT qualitas in divinis, puta bonitas, vel sapientia, est substantia, sic similitudo in divinis est identitas, omnis enim perfecta similitudo, in qua nihil dissimile reperitur, potest et debet dici identitas, et e converso. 2. Praeterea, in divinis est vera generatio, ergo terminus eius formalis est substantia. Antecedens patet ex praecedentibus, sed probo consequentiam, quia, ut patet 3 Physicorum, *sicut vera alteratio terminatur ad qualitatem, et augmentatio ad quantitatem, sic vera generatio ad substantiam, cum igitur in divinis non sit substantia, nisi divina essentia*, ergo etc. SED CONTRARIUM istius quidam tenentes arguunt multipliciter contra illam conclusionem.⁴ Primo sic. Omnis terminus formalis alicuius productionis capit esse per talem productionem, sed essentia divina non capit esse per generationem, tum quia vere est in Patre et secundum idem esse quo postea habet esse in Filio, illud autem, quod actu est ens, generari non potest, ut patet primo Physicorum. Tum etiam, quia ad oppositum istius minoris sequitur contradictio, scilicet quod eadem res haberet esse a se, et haberet esse ab alio, et unum et idem caperet esse, et non caperet esse. 3. Praeterea, ipsi ponunt immediate alias duas rationes, quae solum videntur esse probatio maioris iam dictae rationis. Primo sic. Quamvis terminus relationis non capiat esse per relationem, tamen formalis terminus productionis necessario capit esse per productionem. Hanc differentiam inter relationem et productionem ponit Simplicius super Praedicamentis. Sed generatio divina est vera productio, ergo etc. Item, sicut formale principium actionis est illud, quo agens agit, sic formalis terminus est, quo actum agitur. Sed propter quod unumquodque tale, et illud magis, ergo formalis terminus productionis magis capit quod sit ex vi productionis, quam ipsum productum. Item, confirmant hoc per Commentatorem, qui 7 Metaphysicae ait quod, *quia subiectum formae non habet esse nisi per formam, ideo actio agentis non dependet a subiecto, nisi secundum quod dependet a forma, et inde est quod generat formam, immo non generat subiectum, nisi quia generat formam*. 2. Praeterea, illud, quod in altero praeexistens alicui genito communicatur, non est formalis terminus generationis, propter hoc enim cum ex aere fit ignis, raritas praeexistens in aere, postea existens in igne, non est formalis terminus istius generationis. Et ideo secundum Commentatorem in De substantia orbis, et 4 Caeli et mundi, dimensiones sunt ingenerabiles et incorruptibiles, pro eo quod manent eadem ingenito, quae praeexisterant in corrupto. Sed essentia vere existens in Patre communicatur Filio, ergo etc. 3. Praeterea, sicut in mortuorum resurrectione, quamvis anima uniatur corpori et ipsum vivificando constituat

personam humanam, non tamen dicitur in tali unione anima esse terminus alicuius generationis, ex eo quod praeexistebat ante illam unionem. Sic, quamvis divina essentia uniatur filiationi ad constitutionem personae Filii, non tamen dicitur terminus generationis, eo quod in Patre praeexistere intelligitur tali unioni. 4. Praeterea, omne producens habet habitudinem realem ad terminum suae pro-[120b]-ductionis. Sed pater non habet aliquam habitudinem realem ad essentiam, ut est in Filio, quia extrema realis habitudinis differunt realiter, Pater autem non differt realiter ab essentia, ergo etc. 5. QUIDAM alii ad idem arguunt sic. Formalis terminus generationis generatur saltem per accidens, sed essentia divina nec generatur per se, nec per accidens. 6. Praeterea, idem numero non potest esse principium generationis et terminus. Sed essentia divina est principium generationis, ergo etc. 7. Praeterea, terminus generationis realiter distinguitur a generante, sed essentia divina non distinguitur a Patre, ergo etc. SED ISTAM doctrinam non capio posse stare, salva veritate. Quia, si essentia divina non esset terminus generationis ipsius Filii, tunc Filius ex vi paternae generationis non esset Deus. Consequens est falsum, et quasi undique contra dicta sanctorum. Consequentiam probo, quia Filius non est Deus, nisi ratione deitatis, quam habet a Patre. Haec autem deitas, ut est in filio, non respicit generationem sub ratione principia, quia, ut sic est in Patre, nec sub ratione generantis, quia ipsa non generat, nec sub ratione totalis termini; quia talis terminus est ipse Filius, igitur non poteris fingere aliquam habitudinem, sub qua essentia divina, ut est in Filio, respiciat generationem, nisi habitudinem, sive rationem formalis termini, qua negata, non poteris dicere quod per essentiam divinam aliquid competat Filio virtute generationis, nec per consequens Filius esset Deus virtute divinae generationis, quia hoc praedicatum competit Filio per ipsam essentiam, ut est in Filio. 2. Praeterea, relatio divina, puta filiatio non potest esse formalis terminus generationis, ergo essentia erit huiusmodi terminus. Consequentia patet, quia in Filio nihil poterimus assignare pro huiusmodi termino, nisi filiationem, vel essentiam. Antecedens probo, quia ut patet 5 Physicorum, *relatio nec potest esse principium actionis, nec terminus*. AD PRIMUM Igitur dicendum, quod maior non est vera, nisi in tali productione ubi productum prius fuit in potentia ad esse, quam actu existeret, et ubi natura producti, quae est terminus productionis, aliquo modo differt realiter a natura producentis, quae est principium productionis. Sed omnia ista deficiunt in proposito, quia productum in divinis nunquam fuit in potentia ad esse, cum ab aeterno actualiter habuerit esse, et sit purissimum necesse esse. Etiam natura producti in divinis est eadem realiter cum natura producentis, eo quod producens et productum sola relatione differant in divinis. Et cum addunt dictum Philosophi, quod actu ens generari non potest, bene volo quod essentia divina non generetur, sed dicere, hoc non generator. Ergo non potest esse terminus generationis, est fallacia consequentis, nec sequitur, ut ipsi inferunt, aliqua contradiction, quia non sequitur ex dictis nostris, quod divina essentia habeat esse ab alio, sed quod Filius, cui virtute generationis essentia divina communicatur, tanquam formalis terminus generationis habeat esse ab alio. AD PRIMAM probationem maioris dicendum quod formalis terminus productionis non capit esse per productionem, ubi productum nunquam fuit in potentia ad esse, sed in divinis suppositis. Nulla talis est antecessio, qua producens quandoque fuerit in actu, cum productum adhuc esset in potentiali. Pater enim non est prior Filio, nec tempore nec natura, nec etiam naturali intelligentia, quia relativa sunt simul natura et naturali intelligentia. Id etiam, quod adducunt de relatione, quod terminus eius per ipsam non capit esse, videtur esse contra eos, quia generatio divina non minus est relatio, quam sit actio, igitur secundum dictum eorum non oportet quod suus terminus capiat esse per eam, quod est contra id, quod intendunt probare. Ad secundam probationem dicendum quod, sicut agens agit per principium activum, sic actum agitur per principium passivum. Per terminum igitur non agitur, sed est in acto esse, vel in producto esse, dum enim res agitur, non est in termino, sed est in via ad ter-[121a]-minum.

Item, cum etiam secundum Philosophum, terminus formalis non producitur, nisi per accidens, sed ipsum compositum producitur per se, igitur valde miror de illatione, quam ille facit hic, cum ait quod magis capit terminus formalis, quod sit ex vi productionis, quam ipsum productum. Ex isto namque sequitur quod illud, quod est per accidens tale, magis dicatur tale, quam illud, quod est per se tale, quod est contra omnem sanam doctrinam, tam philosophicam, quam theologicam. Ad tertiam probationem dicendum, quod Averrois ibi loquitur de actione, qua res materiales producuntur, quae in praesenti negotio locum non habet, cum omnes tales res materiales prius sint in potentia ad esse, quam actu capiant esse. Ad secundam rationem dicendum quod maior universaliter non est vera, etiam ipsa exempla, quae adducit, tam de raritate, quam de quantitate falsa sunt, nec in hoc teneo Commentatorem, quia, destructis subiectis, naturaliter non possunt accidentia eadem numero remanere. ET SI DICITUR mihi quod doctor noster, frater Aegidius, hoc idem tenet cum Commentatore. RESPONDEO CUM PHILOSOPHO I Ethicorum. Quod, duobus existentibus amicis, sanctum est praeponere veritatem. Dato tamen quod eadem raritas maneat in igne genito, quae fuit in aere corrupto, non tamen oportet talem raritatem esse terminum generationis ipsius ignis, quia ens multo nobilius acquiritur per generationem ignis, quam sit talis raritas, puta forma substantialis ipsius ignis, vel etiam ipsa igneitas et illud, quod est nobilius in genito debet esse formalis terminus generationis. Et ideo argumentum tuum peccat per assignationem non causae pro causa. Praeexistere enim illius raritatis non est causa, quare non possit esse formalis terminus generationis praedictae. Sed ex hoc est, quia nobilius aliquid acquiritur per huiusmodi generationem. Sed essentia divina est nobilissimum, quod per divinam generationem genito communicatur, ergo valde est dissimile, quod tu addis pro simili. Ad tertiam rationem dicendum quod in mortuorum resuscitatione anima non est formalis terminus alicuius generationis, quia ibi non est generatio. Dato tamen quod ibi esset vera generatio, anima vere esset terminus formalis talis generationis. Unde, si esset circulatio animarum modo, quo posuit Plato, quamvis anima praeexisteret, tamen ipsius humanae generationis anima esset formalis terminus, et quia in divinis est vera generatio, ideo non est simile quod tu adducis de resuscitatione mortuorum. Ad quartum dicendum quod maior non est vera, quando terminus non est productus, sed solum communicatus. Ad terminum enim communicatum sufficit, quod produciens referatur secundum rationem, quia idem potest communicare seipsum. Ad quintum dicendum, quod maior est falsa, nisi fuerit talis terminus, respectu cuius genitum prius fuit in potentia, quam in actu ipsum haberet, ita quod aliquo modo in generatione fuit progressus de non esse ad esse. Ad sextum dicendum quod, quando terminus generationis non est productus, sed solum communicatus, tunc idem, sub alio tamen modo se habendi, potest esse principium generationis et terminus. Sed essential, quamvis sit eadem in generante et genito, est tamen sub alio modo se habendi, quia, ut est in Patre, est incommunicata, sed tamen communicabilis; ut est in Spiritu Sancto, est communicata, sed incommunicabilis, cum Spiritus Sanctus non possit divinam personam producere, cui divinam essentiam valeat communicare. Sed, ut est in Filio, est communicata et communicabilis: communicata, scilicet a Patre, et communicabilis Spiritui Sancto. Ad septimum dicendum, quod maior est vera de termino producto, sed non de termino communicato. SUNT ETIAM quidam alii contra praedictam conclusionem, dicentes quod essentia divina non est terminus generationis, sed relatio, scilicet ipsa filiatio. Quia illud, quod a generante principaliter intenditur, est terminus formalis generationis. Sed hoc est [121b]* principium distinctivum geniti a generante, quod probant per Avicenam, qui in Metaphysica sua ait: *Non spiritualitas, id est ipsa species, sed quod signatur producitur*. Sed patet quod produciens et productum, quamvis convenient in spiritualitate, sive in natura specifica, differunt tamen in singularitate. 2. Praeterea, id, quod habet magis rationem actus in genito, est terminus generationis. Sed filiatio magis habet rationem actus, quia actus est qui distinguit et determinat, filiatione autem suppositum Filii determinate constituitur, et ab aliis divinis personis distinguitur. ET SI ISTIS DICITUR quod agens intendit sibi assimilare productum.

RESPONDENT illi quod eo ipso, quod intendit assimilationem, videtur principaliter intendere differentiam et distinctionem, quia formale in ipsa similitudine differentia est, cum similitudo sit rerum differentium. SED NEC ILLA opinio stare potest, quia secundum Philosophum 7 Metaphysicae *omne, quod producit ab aliquo, producit in quantum conveniens, et omne producens producit in quantum conveniens, ergo principaliter intentum a producente non erit illud, in quo est differentia, sed illud, in quo est convenientia producentis ad productum.* AD PRIMUM igitur dicendum quod minor est falsa. Ad probationem dicendum quod, quamvis iuxta dictum Avicennae *singulare sit illud, quod producit, tamen terminus formalis productionis illud erit, in quo singulare productum assimilatur singulari producenti.*

Ad secundum dicendum quod minor est falsa, quia essentia divina non capit aliquam actualitatem per relationem adiunctam, cum sit infinitus actus, unde actualitas relationis totaliter transit in actualitatem essentiae, et quasi absorbetur ab ea. Relatio enim nihil potest addere super essentiam, nec per modum actus, cum essentia sit infinitus actus, nec per modum potentiae, cum essentia sit * purus actus, et per consequens non patitur sibi addi aliquid passivae potentiae. Ad probationem dicendum, quod id, quod magis distinguit, magis habet rationem actus, comparando absolutum; ad absolutum non autem comparando relativum ad absolutum. Etiam potest dici quod, licet omne, quod distinguit, sit aliquo modo actus, nihil tamen prohibet actum, in quo aliqua distinguuntur, esse minoris perfectionis et actualitatis, quam actum in quo uniuntur. Minoris enim actualitatis et perfectionis sunt principia individuantia, quibus Socrates et Plato distinguuntur, quam natura specifica, in qua uniuntur. Quod autem dicunt in similitudine principaliter intendi differentiam, non dicunt verum, quia principaliter attenditur convenientia, differentia vero quasi per accidens. Quod patet, quia in diffinitione similitudinis ponitur differentia in obliquo, cum dicitur differentium, sed convenientia in recto, cum dicitur eadem qualitas.

QUANTUM AD QUARTUM principale dicendum quod, cum quaeritur, utrum Filius sit de substantia Patris, illud problema potest habere duplicem intellectum. Uno modo, quod li 'de' insinuet circumstantiam originis substantialis, sive principii substantialiter productivi. Alio modo, quod insinuet, sive denotet circumstantiam principii materialis, vel quasi materialiter subiectivi. Primum intellectum hic teneo et secundum nego. Primum patet sic. Ubique producens eandem naturam numero, quam habet, communicat ipsi producto per modum naturae, ibi necesse est productum esse de substantia producentis. Sed pater in divinis communicat eandem ipsi Filio naturam numero, quam habet, ergo etc. Maior patet de se. Minor autem patet ex catholica fide. Etiam Beatus Augustinus intendit hanc conclusionem 15 De Trinitate, ubi sic ait: *quia Pater existit natura ineffabiliter simplici, quae nihil est aliud, quam eius substantia, Filius vero non nisi de substantia Patris est genitus.* Et sub isto intellectu ait Augustinus contra Maximinum libro 2. Nullo modo verum Dei Filium cogitatis, si eum natum esse de substantia Patris negatis. 2. Praeterea, [122a]* scientia Patris est substantia sua, sed verbum divinum nascitur de scientia Patris, ergo de

[122]

substantia Patris. Maior et minor patent per Augustinum 15 De Trinitate. Secundo dixi, si ly 'de' insinuat circumstantiam causae materialis, vel quasi principii materialiter subiectivi, sic Filius non est de substantia Patris, quia in actu simplicissimo et omnino puro nec potest esse materia proprie dicta, nec aliquid se habens quasi principium materiale. Sed Deus est actus simplicissimus et omnino purus, ut patet per philosophos et theologos, ergo etc. 2. Praeterea, essentia divina, ut est in Patre, est formale principium productivum, ut patebit distinctione 7, ut

est in Filio, est formalis terminus productionis, sive generationis, ut patebat in 3 articulo illius quaestionis, ergo nec, ut est in Patre, nec, ut in Filio, poterit tenere vicem causae materialis.

SED CONTRARIUM illius secundae conclusionis ponunt quidam doctores, dicentes quod omni imperfectione postposita, cum filius dicitur de substantia Patris, li 'de' dicit circumstantiam causae materialis, vel quasi materialis. Quia illud, quod secundum nostrum modum intelligendi praeexistit Filio producendo, et in existit iam producto, habet conditionem materiae in Filii productione, quae tamen conditio ad nullam penitus imperfectionem videtur pertinere. Sed substantia Dei Patris est huiusmodi, ergo etc. 2. Praeterea, quodcumque aliquid constituitur ex pluribus, tunc unum videtur habere conditionem formae, et alterum conditionem materiae, sed Filius constituitur ex relatione et essentia, et relatio in hoc magis videtur habere rationem formae, quia ipsa fundatur in essentia, et per ipsam suppositum constitutum distinguitur ab aliis. Actus autem est qui distinguit, ergo videtur essentia habere conditionem materiae. 3. Praeterea, sicut superius argutum fuit, omni potentiae activae in producente correspondet potentia passiva in producto. Sed in Patre est potentia activa, ergo in Filio etc. 4. Praeterea, si in generatione Filii nihil esset, quod conditionem materiae haberet, tunc Filius produceretur ex nihilo et per consequens esset creatus, cuius contrarium ponit fides catholica in symbolo Athanasii, dicens: *Filius autem a solo Patre est, non factus, nec creatus, sed genitus*.

Contra Henricum et Durandum

SED ILLUD non intelligo, quia nulla conditio purae passivae potentiae potest attribui actui puro, in quo nihil de potentia passiva potest reperiri. Sed materia est pura potentia, essentia divina purus actus, ergo etc. 2. Praeterea, illud, quod dat supposito genito esse simpliciter, non habet conditionem materiae in sua generatione. Sed essentia divina dat Filio esse simpliciter, puta esse divinum, ergo etc. Maior patet, quia id, quod dat esse simpliciter, est actus substantialis. AD PRIMUM ergo motivum horum dicendum quod maior est vera, si praeexistit, ut aliquid existens in potentia ad esse. Sed sic non praeintelligitur essentia divina, quia etiam, ut in Patre est, aequae est actu ens cum eodem actuali esse, sicut facta generatione existit in Filio. Ad secundum dicendum quod maior solum habet veritatem in talibus, ubi constitutum est compositius principiis constituentibus, seu constitutivus, et ubi unum constitutum non transit in alterum secundum totam suam realitatem. Sed suppositum divinum est aequae simplex sicut essentia, et relatio secundum totam suam entitatem transit in essentiam, ergo nihil valet hoc argumentum in proposito. Cum dicitur quod relatio magis habet rationem formae, quam essentia, nego. Quia essentia est actus infinitus, sive forma infinita, nihil autem potest excedere infinitum, et tu probas. Quia relatio fundatur in essentia, dico quod non fundatur in essentia per modum perficientis essentiam, quia propter infinitam entitatem et actualitatem essentia non condistinguitur essentiae, si-[122b]-cut actus potentiae, vel perfectio perfectibili, sed transit in essentiam. Et cum dicis quod relatio distinguit, dico quod distinctio relativa non arguit actualitatem et perfectionem in principio distinctivo.

Ad tertium dicendum quod potentiae activae correspondet potentia passiva, et econverso in istis naturalibus, quae sunt de activorum et passivorum genere. Ad quartum dicendum quod, quamvis aliquid non fiat materialiter de aliquo, non tamen creatur, nisi sic se habeat, quod suum non esse praecedat suum esse natura, vel tempore et quod ipsum producat in aliena natura realiter differente a natura producentis. Sed Filius in divinis nunquam habuit non esse, cum sit coaeternus Patri et productus est in eadem natura cum Patre. AD ARGUMENTUM principale patet per iam dicta, quia de non semper insinuat causam materialem, sed potest notare etiam actum purum, ergo etc.

